



## The Holy See

---

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA **MINSCENSIS-MOHILOVIENSIS**

**LATINORUM\*** MINSCENSIS-MOHILOVIENSIS LATINORUM CONDITUR ARCHIDIOECESIS Ex quadam praeteritorum temporum veluti caligine exsurgere communitates illas fidelium videmus, qui in Rerumpublicarum Foederatarum Socialistarum Sovieticarum Unione commorantur. Nos autem hac de re summa affecti laetitia, ecclesiastica instituta felicioribus condicionibus commodare properamus. Itaque quandoquidem Venerabilis Frater Franciscus Colasuonno, Archiepiscopus titulo Truentinus idemque apud Unionem quam supra diximus Apostolicae Sedis legatus, poposcit ut prisca Sedes Mohiloviensis episcopali Ecclesiae quae est in urbe Minscensi iungeretur atque Archidioecesis metropolitana Minscensis-Mohiloviensis Latinorum conderetur, faventibus Venerabilibus Fratribus Angelo Sodano, Archiepiscopo titulo Novacaesariensi eodemque Prosecretario Status atque Ioanne Ludovico Tauran, Archiepiscopo titulo Theleptensi et ipso Pontificiae Commissionis pro Russia Praeside, haec quae sequuntur statuimus et iubemus. Regiones civiles seu « Oblasti », ut ibidem incolae aiunt, Minsk, Mohilev et Vitebsk Archidioecesim constituent Metropolitanam, *Minscensem- Mohiloviensem Latinorum* appellandam, iisdem terminatam finibus quibus ad hoc usque tempus iidem « Oblasti » circumscribuntur, atque ipsius sedes in urbe quam inibi incolae Minsk appellant locatur. Ad ea demum perficienda quae has per Litteras iussimus, Venerabilem Fratrem Franciscum Colasuonno, Archiepiscopum titulo Truentinum, legamus, vel quem ipse delegaverit, modo sit in ecclesiastica dignitate constitutus. Re autem peracta, documenta conficiantur, quorum sincera exempla ad Pontificiam Commissionem pro Russia primo quoque tempore mittantur, nullis quibuslibet rebus obsistentibus. Datum Romae, apud S. Petrum, die tertio decimo mensis Aprilis anno Domini millesima nongentesimo nonagesimo primo, Pontificatus Nostri tertio decimo.

ANGELUS SODANO, archiep.	IOANNES LUDOVICUS TAURAN
<i>Prosecretarius Status</i>	Pont. Corani. pro Russia Praeses

Angelus Lanzoni, *Protonot. Apost.*

Franciscus Chiaurri, *Protonot.*

*Apost.*

\*A.A.S., vol. LXXXIII (1991), n. 7, pp. 540-541 © Copyright 1990 - Libreria Editrice Vaticana

---